

# ANALYSEOS

## Aristotelico-Euclidæ

Seclia II.

De Principiis Demonstrativis.

CAPUT I.

De Definitione & Divisione Principiorum.

§. I.

*Causatum  
complexum &  
reale*

**E**X his igitur, quæ dicta sunt hætenus, omnino clarum est, subiectum demonstrationis, h. e. id quod demonstratur, esse Ens complexum, effatum nempe enunciativum, cui pro subiecto (quod affectionis potius quam demonstrationis est dicendum) quicquid attributum habet vel adjunctum sibi necessario conveniens, vel non conveniens, esse possit; ita tamen ut hoc illi convenire, vel secus, h. e. ut ipsum effatum, non ex se immediatè, sed aliundè, median- tibus nempe distinctis principiis, ex quibus tanquam causis & quidem necessariis à parte rei necessario fluit, indubitato cognoscatur.

*Causam a-  
gnoscit cõ-  
plexam*

§. 2. Quoniam autem talis semper esse solet causa, quæ- re est causatum, nemo non intelligit, causas Effati demon- strativi, h. e. Principia demonstrationis, ipsa etiam esse com- plexa, atque ita *Causarum* vocabulum hîc non sumi strictè, pro agente simplici, cui effectus simplex respondet, qualis est Architectus respectu domus quam ædificat, aut Nauclerus respectu motûs Navis; sed aliquantò latiùs, pro Ente reali, & quidem necessario, quod se ipso posito quoad rem, necessario si- mul ponit habitudinem necessariam Effati demonstrativi à se de- pendentis, h. e. quò posito quoad rem, Effatum demonst-rativum, quod eatenus ejus est causatum, indè ut ponatur à parte rei necessum est.

*Et reale*

§. 3. Quoad rem, inquam posito, non suppositione no- tionali, aut mentis fictione; Nihil enim ad causationem hanc